

Quodsi jam quaeratur, quo jure *nro.* 1. atque *nro.* 2. in locum literae *m* et *n* posthac non tantum numeri numerantes integri, sed etiam fracti, imo vero numeri oppositi, id est sive positivi sive negativi, nonnunquam etiam zeri substituuntur, cum tamen in demonstratione *nro.* 1. et *nro.* 2. data exponentes non nisi numeri numerantes integri sint:

In *nro.* 3. si quaestio fiat, qui sensus sit potentiae $a^{\frac{1}{2}}$, qui factor, et quoties in se duci debeat:

Porro si quis in demonstratione *nri.* 4ti et *nri.* 5ti, quae quidem manifeste non nisi pro numeris numerantibus *m* et *n* integris, atque non nisi pro $m > n$ obtinere potest, haesitet, cum tamen eadem serius ad quosvis valores literarum *m* et *n* extendatur — quis deus tot tantasque tenebras dissipet, frustra ex auctore quaesierit. Quo ego modo istas difficultates solvendas putem, libelli Capite primo explico. Rectene an secus, aliorum sit judicium.

Logarithmorum doctrinam ab illa de numeris exponentialibus diversam non esse, et
in